



Disputatio juridica inauguralis de commodato

<https://hdl.handle.net/1874/345145>

15.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
COMMODATO.

QUAM

FANENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimaque
Facultatis JURIDICÆ Decretō,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit,

CORNELIUS VAN OOSTEE, GOESA-ZELANDUS.

Ad diem 9. Junii hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc xci.

*Amplissimis, Gravissimis, Spectatissimisque
V I R I S,*

- D. D. ADOLPHO VAN OOSTEE, Med. Doct. apud Goefanos verfatissimo, ejusdemque civitatis Archiatro, & Cameræ pupillari Præfecto fidelissimo, Patruo suo ac tutori, omni honore prosequendo & parentis loco venerando.
- D. D. ADRIANO EVESDIJK, J. U. D. urbis Goefanæ Scabino, & nomine Illust. D. D. Ordinum Zelandiæ quæstori dignissimo, Avunculo ac tutori suo, omni reverentia colendo.
- D. D. JOHANNI WESTERWIJK, J. U. D. civitatis Goefanæ Secretario fidelissimo. Patruo suo honorando.
- D. D. ADRIANO VAN WISSEKERCKE, J. U. D. Patruo dilectissimo.
- D. D. MATHEO EVERSDIJK, Avunculo suo per quam charo.
- D. D. GASPARO RONTVIS, Med. Doct. expertissimo, urbis Goefanæ Scabino Spectatissimo: ejusdemque civitatis Poliatro. Avunculo reverando.

U T E T

- D. D. NICOLAO EVERSDIJK, J. U. D. dictæ civitatis, Consuli gravissimo, ac variis ejusdem urbis muneribus & functionibus perillustri, Avunculo suo magno, quam plurimum adamando.
- D. D. NICOLAO BLANCARDO, Phil. & Med. Doct. Illustr. Ord. Zelandiæ quondam Historico, nunc vero in Alma Academia Franekerana Historiæ Græcæ, Litteraturæque Professori ordinario, ac olim Nassaviæ Principis Ephoro, Avunculo magno, reverendo.

Hanc Disputationem Inauguralem

D. D. D.
CORNELIUS VAN OOSTEE, A. & Resp.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

COMMODATO.

THEISIS I.



Ommodatum à *commodando* dictum est, ipsaque vox & verbum *commodati* & *commodandi* vel à *commodo* derivatur, quasi ad *commodum* utens datum, vel ut *festus* vult à modo, ut *commodatum* sit quasi *cum modo datum*, id est, præscripto fine & modo utendi. Sed ut plures passim in jure occurrentes significations prætereamus, *commodare* proprie denotat aliquam rem ad speciale quendam usum concedere. *Secundum gloss. in cap. unico de commodato:* atque in eo sensu vox *commodati* tripliciter sumitur, 1. pro ipso contractu *commodati* §. 2. *instit. quib. mod. re contrah. oblig.* 2. Pro re *commodata*, ut cum dicimus, *commodatum* datur *restituendum* &c. l. 3. §. 3. l. 3. pr. & §. 13. ff. b. t. 3. Pro obligatione sive actione quæ ex *commodato* oritur, ut in *rubr. ff. b. t.* Introductum autem est *commodatum*, ut mutuis officiis alii alios adjuvent & communicato ferum usu, omnibus vitæ necessitatibus in civili societate subveniantur *Wesemb.* nec ab hac opinione abhorre re videtur *Cicero*, alibi dicens, dando & accipiendo,

DISPUTATIO JURIDICA

mutuandisque facultatibus commodandis nulla re egeremus. At priusquam in contractu hoc explicando progressiamur, definitionem commodati premittemus, quatenus in prima significatione denotat contractum.

I I.

Commodatum est contractus nominatus, j. G. bona fidei, re constans, quo res aliqua vel species gratis alicui utenda datur ad certum tempus et modum, ea lege, ut eadem res in specie restituatur. l. 3. §. finali ff. commod. l. 17. §. 3. eod. ad hujus contractus naturam bene intelligendam, singula hujus definitionis verba pro viribus nostris executiemus.

I I I.

Commodatum contractum esse constat ex l. 23. ff. de R. J. & l. 5. §. 2. ff. commod. & §. 2. inst. quib. mod. re contrahit. oblig. sive quod natura sua actionem ad agendum efficacem pariat, patet ex tot. tit. ff. de commod. quod vero sit contractus nominatus, patet inde, quod habeat proprium nomen, l. 7. §. 1. ff. de pact. & producat actionem sui nominis, unde dignoscitur a contractibus innominatis, qui sui nominis actionem non producunt, sed ex quibus agitur condicione vel actione praescriptis verbis, l. 5. §. 2. l. 6. & 7. ff. de praescript. verb.

I V.

Est contractus juris gentium arg. §. 2. inst. de J. N. G. Civ. ubi haec verba habentur, & ex hoc jure omnes pene contractus introduci sunt; cum quo, etiam concordat

cordat l. 5 ff. de Just. & jur. ubi JCtus dicit ex jure gentium omnes contractus esse introductos exceptis quibusdam, qui sunt ex jure civili. Pene quod denotat aliquos contractus tamen esse ex jure civili, veluti verborum obligatio sive stipulatio, §. 9. inst. de act. arg. l. 1. ff. locat. nempe quod in omnibus juris gentium contractibus ad solennitatem verborum sive formulas non attendatur. Referuntur quoque inter contractus juris civilis, litterarum obligatio & Emphyteusis, &c. Sed num bene num male alii disputatione.

V.

Quod sit bonæ fidei, probatur per §. 28. inst. de act. ubi actio commodati inter actiones bonæ fidei numeratur, & si actio sit, bonæ fidei, necessario sequitur contractum ex quo descendit, etiam esse bonæ fidei. Bonæ fidei vero judicia sunt, in quibus judici libera potestas æstimandi ex bono & æquo conceditur, §. 30. inst. de act. unde & hic contractus est ipso jure nullus, si dolus dederit causam. l. 7. pr. ff. de dolomalo.

V I.

Re constans dicitur contractus ad cuius essentiam necessario requiritur ipsius rei interventus, qui est de substantia contractus arg. l. 2. §. 3. ff. de reb. cred. adeo ut hic contractus non perficiatur consensu, non quod in eo nullus consensus requiratur, nam sine consensu nullus contractus iniri potest. l. 1. §. penult. ff. de pact. si enim non consensum sit in corpore vel tota materia, contractus non subsistit, sed ipso jure est nullus. l. 9. pr. §. ff. de

6 DISPUTATIO JURIDICA

contrah. empt. sed quod rei traditio sola præbeat initium obligationi. Commodatum autem hujusmodi contractum esse facile patet ex eo, quod & in hoc dari quam necesse est. §. 2. *inst. quib. mod. re contrah. oblig.* Gl. 1. §. 3. ff. *de oblig. & act.*

VII.

Dictum porro in definitione, *quo res aliqua vel species gratis alicui datur utenda*. His verbis continentur 1. personæ contrahentes. 2. Materia commodati, seu quæ res commodari possint. 3. Commodati forma, quod *gratis* fiat. Quod ad primum attinet, contrahentes sunt ab una parte, is qui utendum dat, qui *commodans* vocatur, ab altera parte, qui utendum accipit, qui *commodatarius* dicitur. Commodare possunt omnes qui liberam rerum suarum administrationem habent, quique contrahere & obligari possunt, unde facile ex communibus regulis colligere possumus, nec pupillos nec furiosos, similesque personas sine tutorum & curatorum auctoritate commodare posse. *arg. pr. inst. de auct. tutor.*

VIII.

Commodari potest omnibus, qui alias contrahere possunt, sive patres sive filii fam. sint l. 39. ff. *de obl. & act.*, si filio fam. commodatum sit, commodans filium obligatum habet in solidum, patrem vero de peculio. l. 3. §. 4. ff. b.t. Pupillo si commodatum sit, absque tutoris auctoritate, non aliter is tenetur, quam si factus sit locupletior, l. 1. §. 2. l. 3. ff. b.t. idem de furioso dicendum

INAUGURALIS.

7

dum l. 2. ff. eod. nec una res tantum uni sed eadem quoque pluribus commodari potest, quo casu singuli in solidum tenentur. l. 5. §§. fin. ff. b. t.

I X.

Vidimus jam qualis contractus sit commodatum, quique sint contrahentes; restat, ut videamus, quæ res commodato dari possint. Commandantur omnes res, modo sint species, tam mobiles quam immobiles, & se moventes l. 5. §. 1. ff. *commod.* l. 5. §. 7. & 13. eod. corporales & incorporales, ut ususfructus, habitatio. d. l. 1. §. 1. *in fin.* l. 12. §. 2. *de usufructu.* Res propriæ & alienæ, licet scientes alienam rem possideamus l. 15. ff. *commod.* itaque & fur rem furtivam, & raptor rem à se raptam alicui possunt, commodare l. 16. eod. ita ut ipsis actio commodati detur, non ex sua improbitate contra l. 12. ff. *de furtis.* Sed ex legitimo interveniente contractu.

X.

Commodari non possunt res propriæ ipsis dominis l. 15. ff. *deposit.*, nec res fungibles sive illæ quæ usu consumuntur, & quarum usus consistit in abusu l. 3. §. 6. b. t. quia eadem res *in specie* est restituenda. Atque ita præcipue differt commodatum à mutuo, quod in mutuo dentur res fungibles, in commodato non. Præterea in mutuo transfertur dominium & possessio l. 2. §. 2. ff. *de reb. cred.* in commodato autem manet penes commandantem, l. 8. cum l. seq. b. t. ita ut nulla alienatio in commodato sit arg. l. 67. de V. S. unde liquet rem comoda-

8 DISPUTATIO JURIDICA

modatam à commodatario non posse usucapi, quia non est justus titulus ad transferendum dominium. Commodantur tamen interdum etiam res fungibles, sed impro-
prie d. l. 3. §. 5. b.t. V.C. si quis pecuniam *dicas gratia* ad Pompam & ostentationem accipiat sine voluntate ab-
utendi, ut homines ipsum dicerent divitem & locuple-
tem l. 4. b.t.

X I.

Forma commodati est. 1. Quod res commodata de-
beat utenda dari gratuito, *in fine* §. 2. *inst quib. mod. re*
contrab. oblig. quia commodatum consistit in liberali-
tate & officio. l. 17. §. 3. ff. b.t. Si autem pretium in
commodato constituatur, tum nulla est liberalitas, nec
præstatur beneficium, & tum fit locatio conductio quia
contrarium est officio merces. l. 1. §. fin. ff. mand. vel
cont. Si autem res pro re datur, est contractus innomi-
natus, quo casu actione præscriptis verbis est agendum.
l. 22. ff. *de præscript. verb.*

X I I.

Secundo, forma quoque in eo consistit, quod com-
modatum, ad certum tempus & modum detur. Illud
autem præscribere, ejus est qui rem commodat l. 17.
§. 3. l. 5. §. 8. b.t. commodatarius autem modum & tem-
pus præscriptum tenetur observare, & si aliter re com-
modata utitur, furtum committit d. l. 5. §. 8. ff. *defurt.*
§. 7. *Inst. de oblig. quæ ex delict.* nempe si se intelligat
illud invito domino facere, sive animo lucri faciendi
l. 46. §. 7. ff. *defurt.* sed si dominus sciat nec contradi-
cat, non committit furtum, quia nemo videtur fraudare
eos

eos qui sciunt & consentiunt. *l. 145. de R. J. l. 54. §. 1.*
ff. de furt. certum tempus etiam est præscribendum,
 ut commodatum distinguiatur à *precario*, quod pre-
 cibus petentis utendum conceditur, quamdiu, is qui con-
 cessit, patitur. *l. 1. ff. de precario.* Sed commodatum
 non potest repeti, quandocumque voluerit commodans,
 nam tum inutile esset præscribere modum & tempus;
 sed solum ob justam causam, veluti ob magnum dam-
 num, quod commodanti contingere, si res ipsi non re-
 stitueretur, & hæc est communis *dd.* sententia.

X III.

Finito tempore præscripto commodatarius tenetur
 rem commodatam *in specie* restituere cum fructibus,
 usuris & omnibus accessionibus *l. 5. §. 9. l. 13. §. 1. ff. b.t.*
l. 173. de R. J. l. 38. §. 10. ff. de usur. quod adeo verum
 est, ut pactum, *do* *commodatum ut nunquam restituas*,
 non valeat, quia est contra naturam contractus. Hoc
 nomine etiam differt commodatum à mutuo, in quo
 non eadem res; sed aliae ejusdem generis debent resti-
 tui; debet & res restitui in eodem statu, non deterio-
 rata, *l. 3. §. 1. ff. b.t. l. 35. de V. S.* nam si deterior red-
 datur videtur abesse *l. 14. eod.* & tum interesse debet peti
d. l. 3. §. 1.

X IV.

Ex hoc contractu oritur duplex actio, *directa* & *con-*
traria. *Directa* est *actio personalis*, quia oritur ex
 contractu, omnes enim actiones ex contractu &c. de-
 scendentes sunt personales, *civilis*, quia ex legitimis
 B & civi-

10 DISPUTATIO JURIDICA

& civilibus causis descendit §. 2. inst. de att. nec obstat quod prætor l. 1. ff. de commod. dicit, nam illud ad approbationem, non ad originem referendum est. Bonæ fidei §. 28. inst. de act. rei persecutoria, qua persequimur illud quod nobis abest, nempe quod ex obligatione restituendum est l. 35. ff. de obl. & act. unde datur hereditibus & in heredes arg. §. 1. inst. de perpet. & temporalibus att. l. 3. §. 3. ff. h. t. quæ datur commodanti & propriam & alienam rem, l. 15. 16. h. t. adversus commodatarium, sive ille sit paterfam. sive filius. l. 39. ff. de oblig. & act. sed si commodans unam rem pluribus simul commodaverit, omnes possunt conveniri in solidum l. 1. §. 43. ff. depos. quamquam unius solutio liberet reliquos. Ut rem commodatam in specie restituat propriis sumptibus arg. l. 5. §. 12. in fine h. t. vide quæ dicta sunt ad Thesin XIII. ut præstet dolum & omnem culpam.

X V.

Quod dolus debeat præstari in omnibus contractibus, adeo & in commodato, de eo non ambiguitur l. 23. ff. de R. f. adeo ut nec conventio in contrarium valeat. d. l. 23. & l. 27. §. 3 ff. de pactis. Quod ad culpam spectat, regulariter commodatarius tenetur de culpa levissima l. 1. §. 2. l. 18. pr. ff. hoc tit. l. 1. §. 4. ff. de oblig. & act. ratio est, quod commodatum regulariter solius commodatarii gratia initur d. l. 5. §. 2. Excipiuntur casus sequentes, quibus commodatarius de levi, vel etiam de lata tantum culpa tenetur. 1. Si commodantis tantum utilitas versatur, præstatur culpa lata tantum, ut si quis sponsæ commodaverit, ut honestius culta ad se dedu-

deduceretur l. 5. §. 10. ff. b. tit. 2. Latam culpam tan-
tum præstat commodatarius, si ita convenerit d. l. 1. §. 10.
3. Si quis ultro non rogatus se ipsum ad commodandum
obtulerit. *ibid.* 4. Levem culpam tunc præstare tene-
tur commodatarius, quando utriusque utilitas versatur.
Exemplum est in l. 18. ff. b. t.

X V I.

Si autem res casu fortuito pereat, secus est, quia res
perit suo domino, & casus fortuitus, præstatur in nullo
contractu l. 23. ff. de R. J. excepto solo *mutuo* §. 2. *inst.*
quib mod. re contrah. oblig. nisi conventum sit, ut com-
modatarius præstet casum §. 35. l. 1. ff. *deposit.* vel si res
communi consensu aestimata data sit, & commodata-
rius promisit se estimationem præstiturum l. 5. § 3. b. t.
Vel si commodatarius fuerit in mora l. 23. de verb. *obl.*
Vel si culpa præcesserit casum, veluti si rem domi uten-
dam peregre secum sumserit, & ea res interierit: nam
id commodatarius debet sibi imputare, quod modum
excesserit. §. 6. *inst. de oblig. quæ ex delicto.*

X V I I.

Quæritur, num commodatarius teneatur, si in casu
ruinæ, aut incendi res suas rebus commodatis præfe-
rat? Probamus eum teneri per l. 5. §. 4. ff. b. t. quia in re
commodata major diligentia est adhibenda quam in re
propria §. 2. *Inst. quib mod. re contrah. oblig.* non ob-
stat l. 14. ff. de *præscript. verb.* ubi agitur de casu
quo quis circa res alienas ex nullo contractu est obli-
gatus.

X V I I I .

Actio contraria est *personalis*, *civilis rei persecutoria*, quæ datur commodatario aduersus commodantem, ut servetur *indennis*. Id est, ut reddantur impensæ quas fecit in rem commodatam l. 18. §. 2. ff. b. t. datur etiam, si commodans rem commodatam intempestive & sine sonica causa revocaverit, si sciens & tacens, rem vitiosam commodaverit l. 18. §. 3. b. t. item competit commodatario, si rem perdiderit, & pretium pro re perdita dederit, quo casu tamen commodans habet electiōnem, num velit pretium restituere §. fin. l. 17. ff. b. t. potest etiam commodarius suum consequi jure pensationis l. 18. §. fin. b. t. nempe cum agitur ad æstimationem, non quando agitur de re restituenda, quia species seu corpora cum quantitate compensari nequeunt. l. 2. 4. 6. 8. ff. de *compens.*



CO-

COROLLARIA.

I.

*Nuptia sine parentum consensu initæ non
subsistunt.*

II.

Maritus est dominus dotis.

III.

*Testamentum militis valet, si de eo constet,
licet nulli adfuerint testes.*

IV.

Contractus in testamento celebrari nequit.

V.

Actori ineumbit probatio.

F I N I S.

B 3

Orna-

Ornatissimo Viro JUVENI
D. CORNELIO van OOSTEE,

Cum J.U.D. in Academia Ultrajectina
Promoveretur.



Ectito nunc flores Musarum læta ca-
terva,
OOSTEE phæbeis cingito laureolis:
Hunc, qui non metuens scopulosa ac
ardua saka,

Irruit immensum juris in Oceanum.
Sed postquam fuerit gelidis agitatus in undis,
Nauclero MUYDEN, ad loca tuta venit,
Navigat in portu: sunt hæc jam paæta labore,
Ut studii fructus possit habere cliens,
Cujus defendet causas litesque molestas
solvet, & arguti jurgia dura fori.
Ergo quisquis eris vexatus lite forensi,
Huc venias, præsto est hic tibi causidicus.

Ita cognato suo gratulatur

G. van WISSEKERCKE.

E I-

E I D E M.

KORNELIUS VAN OOSTEE
ædibus exultet quamvis Bellona eruentis,
mnibus inque locis graventur Martis alumni;
auaque per cunctas pulsentur tympana terras,
ec nos bella sinant ulla gaudere quiete:

Ise tamen debent, atras, qui, solvere possunt
ites, & tutum à rixis præstare clientem.

Ile scopus solus sit, mi Carissime frater,
sque tibi, studeasque tua, doctissime, lingua
olvere nodosas leges. Ae discute juris

oces ambiguas, justumque æquumque tuere.
tque domus fac sis columenque decusque paternæ;
omen tunc vestrum sublimia ad astra feretur.

rbem & Mattiacum late tua fama replebit.
tantum! docti possis vestigia Patris
anctorumque sequi Majorum! Tunc tua docta
empora nexilibus cinget Themis alma corollis,
t dicet: Pergas nunc o mihi dulcis alumne
Ise mei templi doctusque bonusque sacerdos.

Fratri suo posuit,

M. van OOSTEE.

AAN

S.V.H.

AAN DEN HEER
KORNELIS van OOSTEE,

*Op zijne bevordering; tot Meester in beide
de Rechten.*



Ooit kwam u blijder dag te vooren
Als deeze; om dat gy heeden zult
(t welk u van Themis is beschooren,)

Tot Priester werden ingehuld:

Ja, tot een voor-spraak van de wetten,

Die Vorst JUSTINIAAN voorheen,

Om alle moedwil te beletten,

Heeft ingesteld, naar recht en reën.

En om het kwaad-doen voor te koomen,

Te straffen 't kwaad; maar niet den man,

De Dieverijen in te toomen,

En recht te doen, zo streng me kan.

Dit 's Vorst JUSTINIAANS begeeren.

Gy, die dan nu word ingewijd,

Laat uwe weet-lust meer vermeeren;

Toon door uw' arbeid, deugd en vlijt,

Dat gy een zoon zijt van uw' vaader,

Die hem in naerstigheid gelijkt.

Vólg hem in all' zijn' deugden naader;

Maak, dat ge in iever niemand wijkt.

Handhaafd het recht naar regte reeden,

Beschermd ASTREAAS heiligdom,

Dan daaldze vrolijk naar beneeden,

En komt op de aarde weederom:

Dus zien we uw' lóf nóg hooger stréven,

Die ik naar waarde u niet kan gheeven.

S. V. H.